

sentem Usum communem (quando *autoritate publica* formulæ loquendi non sunt præscriptæ,) sese accommodare, ab ambiguis autem inusitatisque vocibus, quæ non nisi obscuritatem & scandala pariunt, abstinere tenentur; Variante deinceps usu, variat etiam scribendi atque loquendi obligatio. Omne enim signum in illo adhiberi debet significatu, qui magis usitatus est apud plebem seu vulgum. Id quod Paulus vult, cum dicit: *Quid vobis proderit, fratres, si ad vos lingvis veniam, scil. ignotis, nisi loquar aut per scientiam aut per doctrinam?* i. e. ut capere atque intelligere, intellectisque erudiri possitis? (Theologorum enim est *σφῆσαι*, non obscurare, neque confundere Lectores atque auditores suos æquivocationibus;) sic enim porro dicit Apostolus; *Quin & inanima vocem reddentia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonis dederint, quomodo cognoscetur, quod tibia canitur, aut cithara? Etenim, si incertam vocem tuba dederit, quis apparabitur ad bellum?* 1. Cor. XIV, 6. 8. itaque si nesciero vim vocis, ero ei, qui loquitur, barbarus, & qui loquitur, apud me barbarus. Quandoquidem igitur vos sectatores estis spirituum, ad edificationem Ecclesiæ quarite, ut excellatis. In Ecclesiâ malo quingve verba mente mea loqui, ut alios instituam, quam decem millia verborum lingua (scil. inusitata.) Lingvæ enim signi vice sunt. Si igitur omnes lingvis (nempe obscuris) loquantur, ingrediantur autem increduli aut indocti, nonne dicent, vos insanire? Si verò omnes prophetent, i. e. interpretentur mysteria, atque abditos eorum sensus, discent indocti; Quod si quis non sit *διερμυνόμενος*, interpretes, taceat in Ecclesiâ? Non enim est confusionis Author DEUS, sed pacis. ibidem v. 11. 12. 19. 22. 23. 28. 33. Si vigil tuba vel nullum vel incertum det sonum, de ejus manu sanguis inter.

ter.